

vel Colu^onae Guernica

JOHANNIS VOET

JCti & Antecessoris in Academiâ

LUGDUNO-BATAVÂ

COMMENTARIUS

A D

PANDECTAS.

In quo præter Romani juris principia ac contro-
versias illustriores, jus etiam hodiernum, &
præcipuæ fori quæstiones excutiuntur.

TOMUS PRIMUS.

Continet duos & viginti libros priores.

EDITIO QUARTA.




HAGÆ-COMITUM,

Apud ABRAHAMUM DE HONDT.

M. DCC. XXIII.

Cum Privilegio.



AUGUSTISSIMO
P R I N C I P I
GUILIELMO III.

MAGNÆ BRITANNIÆ FRANCIÆ
ET HIBERNIÆ

R E G I.

FIDEI DEFENSORI
BELGICÆ FOEDERATÆ SUPREMO

GUBERNATORI

P A T R I Æ P A T R I

PIO FELICI

JOHANNES VOET.



Uod inter tot faustas Populorum tuo-
rum Belgicæque fœderatæ acclamatio-
nes, inter tot gratulationes ac lætitiæ pu-
blicæ significationes, ob pacem ope tua
potente redivivam Europæ, certatim
hoc tempore editas, etiam mihi fiducia
surrexerit Te, tanta sustentem, usque sufficientem,

COMMENTARIUS

A D

P A N D E C T A S,

LIBER PRIMUS

TITULUS PRIMUS.

De Justitia & jure.

S U M M A R I A.

1. De necessitate legum, & primis præcipuis legum apud gentes auctoribus; de quo scopo auctoris.
2. Quæ jura deficere debeant, antequam ad jus Romanum vel Canonicum recurratur.
3. Necessarium tamen esse juris Romani cognitionem.
4. Jurisprudentia cur divinarum & humanarum rerum notitia dicatur.
5. Bonum & æquum non debere in jure nostro separari.
6. Stricto juri æquitatem in judicando præferendam esse, quo sensu verum sit.
7. Justitia cur per voluntatem definiatur.
8. Cur dicatur constans & perpetua.
9. Diviso justitiæ in commutativam & distributivam; & quæ utrobique proportio observetur.
10. Item in expletivam & attributivam; eoque occasione, non minus quod licet, honestum esse.
11. Quid sit jus, quæ sit, & ex quibus collectum præceptis.
12. Quid sit jus naturale.
13. Non minus, quod brutis cum hominibus commune est, juris naturalis esse, sed demum, si ratio concurrat.
14. An detur ullam jus naturale.
15. Quodnam sit primum juris naturalis principium ac fundamentum.
16. Jus naturale immutabile.
17. Quandoque tamen mutabile.
18. Quid sit jus gentium, tum primum, tum secundarium; & quo usque verum sit, jus gentium dari ac obligare.
19. Jus gentium conjunctum habere debet rectam rationem; & ideo aliquando appellatur jus naturale.
20. Quid sit jus civile, tum quod origine sua tale est, tum quod solè comprobatione.



Quoties cum generis humani primordiis ejusdem quoque incrementa, & in hunc usque diem productam durationem, attentâ contemplatione libet intueri; nullo unquam loco, nullo tempore, illud sine recti honestique legibus substituisse deprehendimus; ac ne illis quidem aut regionibus, aut secularibus, quibus serî mortales omnem ignorabant vitæ cultioris usum, quibus herbe ac glandes victusis, nemora domus, ac thorum sylvestrem montana frondibus sternebat uxor. Quamvis enim per lapsum protoplastarum cum primævâ morum integritate perierit quoque exactus in omnibus & fallere nescius incorruptæ rationis usus: non tamen ita in universum in hominibus extinctus fuit aut mentis vigor, aut virtutis sensus, quo scintillæ quædam principiorum justitæ & honesti superfuissent, quasi rudera egregiæ domus, aut tabule ex naufragio subductæ; atque adeo cordibus insculptæ divinitus & innata: remanserint nonnullæ justitiæ & æquitatis regulæ, quid licitum illicitumve, quæ agenda, quæ fugienda

Tom. I.

sint, cuique dicentes: quas & quisque semetipsum sedato executiensi animo, secumque cogitans, non potest non Marte proprio eruere: non sacris tantum literis illud indigentibus, sed & agnoscentibus gentium optimis, atque doctissimis, sic scilicet consentibus; vitæ bene actæ, ac recte factorum recordationem; uti jucundissima bonis est, ita, quia nullius sibi criminis conscius sunt; efficere, ut nihil timeant, & inadvertis solamina ac gaudia præsentia sibi à mente suâ sentiant subministrata: sceleratos è contrario malefactorum suorum stimulari conscientia, in improbitatem veluti flagello armatâ, poenarumque, semper ante oculos versantium, cruciari terrore. Quamvis autem virtutis amor, venæque laudis inde promanantis, allicere quemque ce- buisset ad recte faciendum; quamvis etiam gentium plurimi suam cuique gentem, velut Deum tutelarem, à primâ nativitate additum crediderint, totius vitæ futurum mysticum ductorem, & actus cuiusque humanos recturum auctorem; tamen tantum abfuit, ut ea propter integri vitæ, scelerisque puri mortales vixerint, ut potius ad impia & injusta omnia inclinatam fuisse

A

cujul-